IN

SERENIS. AC POTENTIS.

DOMINI, DOMINI

MATTHIÆ II.

REGIS HVNGARIÆ, BOHEMIÆ, CROATIÆ,

Sclavoniæ; Archiducis Auſtriæ; Ducis Burgundiæ, Stiriæ, Carniolæ, Carinthiæ, Wirtembergæ, Sileſiæ; Marchionis Moraviæ & Luſatiæ; Comitis Habspurgenſis & Tyrolenſis,

FELICISSIMVM VRATISLAVIÆ XVIII. Septembr.

INGRESSVM;

vt et

PORTAM HONORARIAM,

SereniS. IPSIVS Majeſt.

à S. P. Q. VratisL.

erectam,

PANEGYRIS ADVENTORIA

CASPARIS CVNRADI


VRATISLAVIENSIS

Phil. & Med. D.

BREGÆ

Typis CASPARIS SIGFRIDI. ANNO MDCXI.

Sumtib. I. Eyringij & I. Perferti Bibliopolar. Vratislav.



MATTHIAS SECVNDVS, DEI GRATIA, REX HUNGARIAE ET BOHEMIAE, ARCHIDUX AUSTRI: DUX BURGUNDI: atq; Silesi: &c. Comes Tiroliensis.

Per Anagrammatismum.

AH REX hic mirus genti! ah, tu CHRISTE guberna!
Vt Dux in duris reb9 sit, amica salusq;
Arx & dia DEI, læso & medicina sit ægro.

PANEGYRIS ADVENTORIA

AD SERENISS. AC POTENTISS.

HVNGARIAE AC BOHEMIAE

REGEM

DIVVM MATTHIAM II.

ARCHIDVCEM AVSTRIÆ,

DVCEM BVRGVNDIÆ ET
Silesiæ, &c. Augustum suum
Clementissimum.

NAM qvid ego! legesne meis indicere Musis
Pythagoræ, & timidæ mandare silentia lingvæ
Fas sit, Amycleos rursum perdentia muros?
Dum vigili exsultans populosa SILESIA plausu
Intuma lætisono sustollit pectora motu:
Dum mea BRESLA novos intentat ubiq; decores?
Lætitiaq; fremens venienti occurrere REGI
Promta, serenatos ostentat splendida vultûs?
Dum Ciues læti feriantur, & obvia qvæq;
In cantûs abeunt, ac tripudiantia latè
Jubila? dum cessant luctûs; dum prælia cedunt,
Et pax auratis remeat provecta qvadrigis;

Non

Non decet, ô noſtræ, dulciſsima Numina, Muſæ!
Non decet. Ergo alacres ad prætermiſſa venite
Munia, & Aoniâ redimitæ timpora Lauru
Adſvetis iterum numeros intendite nervis,
Entheaq; arguto deducite carmina plectro.
Ergo dies optata venit, qvâ ſidere fauſto
MATTHIA REX DIVE, datur ſublimia BRESLÆ
Mœnia, & AVGVSTÆ formoſa palatia PORTÆ
Indugredi, qvæ BRESLA tuo decrevit honori,
BRESLA, alias tantum qvæ inter caput extulit urbes,
Qvantum tecta ſolent inter declivia turres.
Ingredere ô igitur, REX invictiſsime! felix
Ingredere, & quæ IOVA Tibi, qvæ dia RVDOLPHI
Gratia largitur, placido lege mænia vultu.
En Tibi ſolemnes plauſûs & læta trophæa
Inſtituunt Patriæq; Patres, populiq; Magiſtri:
En populi adplaudunt, ſubmiſſaq; pectora læti
Et capita adpronant, gaudentes pace ſeqveſtrâ,
Nuncia poſt belli, trepidæq; pericula ſortis,
Quæ metus & maleſvada fames, quæ triſtia lethi
Murmura, non ſegni, data per veſtigia, greſſu
Ponè ſecuta, gravem laté intendêre ruinam.
At nunc ſpes animis redit & vis maſcula, in unumq;
Omnis ſe vertit favor omnium, & ordine longo
Gratantur regnumq; Tibi, ſecuraq; regno
Ocia, & æternam ſine cæde & ſangvine pacem.
Hunc juvet ergo diem cantu celebrare, jocisq;:

Plectra fides moveant; digiti per eburnea currant
Barbita, & intensis socient modulamina nervis.
Tympana dent sonitum; sonitu adsonet unca potenti
Tibia, & alternos Taratantara Martia cantûs.
Ingeminans cieatq; Viros, cieatq; per ipsas
Convalles vocem elingvem resonabilis Echûs.
Non ità, qvi fessus per opaca silentia noctis
Carpit iter, ventosq; graves perpessus & imbres,
Ignarusq; viæ, mediis in saltibus errans,
Exsultat miser & gaudet, si fortè Virum qvem
Conspexisse datur, qui lampade præuius almâ
Edoceatq; viam, tenebrisq; educat apertis:
Non ità, qui tumidi sulcat vada cerula ponti,
Navifragos metuens scopulos, & proxima letho
Prælia ventorum, trepidas jactantia nunc huc,
Nunc illuc naves, collecto pectore surgit,
Tyndaridas si fortè suum per nubila cernit
Spargere densa jubar; vel si pleno ostia velo
Perrumpens, tuti relegit cava littora portûs;
Ac hodie, REX DIVE, Deûm sate sangvine, plaudit
Omnis in Elysiâ latè locus, ut tua cernit
Lumina, & ambrosio pascit sua lumina vultu.
Qualis ubi croceos auroræ Lucifer albus
Monstrat equos, claramq; suâ promittit ab alto
Luce diem, Solis prænuncius: aut vaga qvalis
Luna soporiferas magnum per inane favillas
Spargit, & aurato nocturna silentia cornu

Illuſtrans, radiis ferit aſtra minora ſerenis.
En humili cum plebe Duces, cum Præſide Cives:
En equitum turmas oſtroq; auroq; nitentes:
En peditum ſeries geminatas ordine longo
Adverſum ſtantes: micat hic umbone coruſco;
Hic gladio ancipiti: thorace hic gaudet aheno;
Loricâ hic tortâ: ſubluſtri hic arduus haſtâ;
Hic flammâ, cannaq; tonans: ferit aurea clangor
Sidera: ſigna volant in gyrum ducta; rotantur
Haſtæ, enſesq;; tubæ crepitant & tympana: turres
Ære ſonant; reſonant altis è mœnibus vrbis
Exonerata globis tormenta, & puluere rubro
Subtexunt nubes; tonitru celum omne remugit.
En etiam Muſas Phœbo cum Præſide Marti
Immixtas, Charitumq; trium pia Numina; junctim
Quæ ſe promentes, metris metra, nablia nablis
Conſociant, animisq; aditûs atq; ore coronant,
Et tibi in occurſum portis bipatentibus adſtant.
Ergo ades, ô REX DIVE! ter ô REX optime! & vnà
Qui tecum veniunt Proceres, ſeu ſanguine creti
Pannonio; ſeu Bojemis nutrita ſub arvis
Lumina: ſiue tuæ fidiſsima pectora terræ
Auſtria ô! aut Moravûm carâ de ſede dynaſtæ,
Aut aliis etiam nati regionis in oris?
Ergo ades, atq; Manu comitantum cinctus honorâ
Ingrederis, claræq; tenens celſiſsima BRESLÆ
Mœnia, in adſpectum gentem, mentemq; tuorum
Arripis,

Arripis, atq; vnus tardas obtutibus omnes,
Expleri ut nequeant, exardescantq; tuendo
Os humerosq; DEO similem? Turba, ecce, per omnes
Accurrunt vicos; pueri innuptæq; puellæ,
Matres atq; mares, juuenesq;, senesq;; novisq;
Inter se certant adplausibus, & sua miscent
Votis vota, faventq; animis, linguisq;, DEVMq;
Suppliciter poscunt, ut REX Celsissime, salvus
Veneris; ut longæ peragas felicia vitæ
Tempora, & optato succedant omnia fine,
Pro Patria quæ, proq; DEI meditaris honore.
Non aliter quomdam magnis gavisa triumphis
ROMA potens, quando Capitolia clara subiret,
Qui victor validis hostes prostrauerat armis.
O nos felices tam magno hoc hospite! nos ô
Felices regniq; tui, sceptriq; decore,
MATTHIA diuine! Quid ô Te Patria dignum
BRESLA dabit? quo thure tuos adolebit honores?
Munera quæ statuet? quâ justa litabit acerrâ?
O si perspiceres, REX Augustissime, nostri
Corda Magistratûs, pleno exundantia riuo!
Subdita si populi penetralia; si pia vota,
Officia & cultum; benè si curamq; merendi,
Næ Tu mente animi, sanctâ & pietate videres
Cum quovis certare bono, qui debita IOVÆ,
Debita qui REGI præstare; facessere jussa
Qui satagat, monitisq;, morâ sine, reddere morem.

En tamen ista, tuo qvæ nostra BUDORGIS honori
Constituit, mirè fabricatam, pegmate, PORTAM,
Argumentum ingens decorum vt, REX magne, tuorum,
Sic animi specimen, qvo Te, & tua gesta per Orbem
Mactare, ac seros traducere ad vsq; nepotes
BRESLA cupit, penitusq; tuo se dedere juri.

Portæ Augustæ Σκιαγραφία. Hic ille est patulus miris compagibus Arcus,
Hæc PORTA Augusta, ad celiqvæ sidera tensa
Mole suâ bis octo nitet suffulta columnis,
Marmoris in viridis speciem; gemmata decore
Stamine inaurato, picturatisq; coronis.
Qvatuor tabulata. 1. Contignatio. Qvattuor in partes distincta hæc arte magistrâ,
Inferius spaciosa patet sex nixa columnis,
Qvattuor antè, retrò geminis: qvas inter apertum
PORTA aditum reserans, intus bis qvattuor ulnis
Tenditur in latum: geminata hanc portula claudit,
In latera hinc atq; hinc binas latata per ulnas.
Hanc supra, qvam dextra tenet, vallata columnis
Majestas MAIESTAS veneranda, pio spectabilis ore
Visitur, augusto gestans in corpore vestes
Arte laboratas ostroq; astrisq; micantes,
Cincta caput sanctum nitido diademate; custos
Qvod Iovis ales habens expansis protegit alis:
Sceptrum dextra gerit, qvo totum regia mundum
Temperat, & validis fasces exauget habenis
Potestas. Occupat aduersam partem generosa POTESTAS,
Nubibus ex altis gladio firmata, truciq;

Insignis

Insignis galeâ, justum adsertura, bonumq;
Depressura malum. Super his devota Poëtæ
Carmina, qvæ pacem, Te Rege & præside, poscunt, Epigrāma.
MATTHIA REX DIVE, pio ceu nomine compar
MATTHIÆ HUNNIADI; sic & præstantibus ausis
Nulli unqvam cessure Duci. Dextrum inde vicissim
Dia PRONOEA latus cingit, celestibus ardens Providētia.
Omnis imaginibus. Capitis venerabilis orbem
Fulva corona tegit; membra integit aurea vestis,
Qvam Phoebus, Phoebeq; ,caviq; nitentia celi
Sidera luce suâ, flammisq; micantis Olympi
Irradiant. Hæc mente suâ qvia dirigit omne,
Qvod fuit, & qvod erat, qvod eritq;, hinc Regula dextrā Requies.
Mensurata decet; cruce cum, velut inde sinistram
Sphæra nitens oculis. Oculis nempe omnia cautis
Prævidet, & toti sapienter providet Orbi.
Hanc ergà REQVIES placido composta sopore
Automato incumbit: prope qvam VIGILANTIA soler Vigilantia.
Excubias Palamedis avi concredidit, uno
Qvæ pede consistens, lapidem tenet altero, ut inde
Casurus forsan vigilem somni arguat acti.
Hactenus anticâ satis & satis undiq; parte Cōtignationis priae facies altera.
Vidimus inferius tabulatum: cernere nunc &
Posticam par est, geminis qvæ nixa columnis
A dextrâ perhibet PACIS veneranda serenæ
Lumina. Daphnis ei diadema it timpora circum; Pax.
Daphnide dextra, sinistra Oleâ victrice triumphat;

Subter hebentq; pedes gladiiq;, hastæq;, bipennesq;,
Et clypei, & galeæ, cristæq;, trucesq; sagittæ,
Thoracesq; rubiginei, tormenta, globiq;,
Et quæ præterea sibi Mars legit improbus arma.

Libertas Aurea LIBERTAS aduersâ parte locata est,
Pulcra comis, facie sincera, a !apertaq; lingua;
Fronte gerens hilari super alto vertice nidum,
Quem pia seruat auis, cui curæ est cura parentum,
Quos senium jam triste premit. Liberrima dextra est,
Dùm sceptrum regale manus tenet altera: calcant
Turcæ terga pedes famulâ constricta catenâ.

Epigramma. Has supra Clarias iterum sua carmina Musas
Suspendisse vides, quibus insuper, AVSPICE CHRISTO,
Vota secunda SECVNDE Tibi MATTHIA precantur,
Atq; secunda tuis exspectant omnia ab orsis.

Insignia Silesiæ. Hæc propè, dextrorsum pendent insignia Gentis
Signa Silesiacæ, quæ sceptriger efficit Ales,
Falcatam Lunæ candentis pectore gestans
Effigiem, cujus mucronem Asphaltion ambit.

Insignia Vratislaviæ. Inde sinistrorsum BRESLÆ decora ampla videntur,
Quæ Pietas, quæ cana Fides, quæ Martia Virtus
Emeruit, meritoq; suo servabit in ævum.
Quadrifidum clypeum cruciatim diuidit aurum,
Puniceusq; color: premit hunc Leo candidus; illud
Grata Ioui volucris: prima, infra, hoc littera seruat
Fundatoris aui: caput, illum, Virginis almæ,
Quæ speciosa comis aurato immittitur orbi.

Hæc intra, medium caput à ceruice revulsum
Vatis habet Zachariadæ, constantia veri
Qvem necuit, ducensq́; leves meretricula saltûs.
Sed M. qvid sibi vult aurato nobile ductu, *M. Litera.*
Qvod PORTÆ cameras retroq́; atq; antè figurans,
Heic bis, & heic curvo spectabile fulget in Arcu?
Hoc verò, REX DIVE, tui quia nominis orsa
Efficit, inde tuo PORTA hæc qvoq; nomine gaudens
Clarescet, serosq́; sui sermone nepotes
Exercens, Pyliam se promet ad usq; senectam.
Intus at in PORTA testudine subter opertâ,
In dextrâ facie, Virtutum prima videtur, *Iustitia.*
DIVA cuiq; suum tribuens. Manus altera libram,
Altera habet gladium: clausi sunt luminis orbes,
Qvò sine personæ respectu plectat iniqvum,
Vindicet æqua bonum. Sedet è regione decorè *Fortitudo.*
Armipotens Virgo, fractam amplexata columnam,
Atq; leonis agens invicto in corpore vires,
Non vim, non fraudes metuens, non horrida lethi
Spicula, pro justo pugnat constanter & æqvo.
In PORTÆ camerâ, medioq́; illustris in Arcu *Corona Regia.*
Pendula fulgescens auro radiante Corona
Visitur, Indiacis mirè exornata lapillis,
Prona tuum, REX DIVE, caput redimere, suoq́;
Numinus exaugere tui decora ampla decóre.
Hæc fuit in tabulis sic contignatio prima;
Cujus opus claudunt in qvadripatentibus oris

Pyramides qvatuor.

Insignia Regia.

Pyramides totidem, qvas corpora sphærica servant
Artifici fabricata manu. Vix Dædalus illas
Aeqvarit, vix Alchimedon, Phidiásve, Myróve,
Aut qvos præterea sculptoriâ ab arte vetustas
Iactitet insignes. Suspensa in qvaq; refulgent
Regnorum, REX Magne, Insignia clara tuorum,
Quæ peperit Virtus Tibi, quæ Prudentia, qvæq;
Addixit longo jam tempore dia Pronæa.

II. Cōtignatio.

Musica.

Altera subseqvitur PORTÆ textura, columnis
Sex etiam suffulta, virentis marmoris instar,
Intus ocellatum dispansa foramine in orbem,
Qvam cingit lorica foris. Locus ille dicatus,
Harmoniæ qvi justa ferunt, seu vocibus isthæc,
Seu manibus, flatúve litent: modulatibus illi
Concordant vocum discordibus; hic minurizans
Chromate concíditq; modos, frangitq; ; tenella
Qvem juvat aut Nete, vel buxus acuta: subaltum
Ille canens, scansim vocem excitat; assonat illi
Tibia, conhcentumq; animat: medio iste tenore
Dat per colla modos: tuba cui se ductilis addit,
Intenditq; sonos. Instar basis intonat inde
Ore gravi, cantumq; regit vox infima, grandi
Aut Hypate complens, longo aut Bombyce, theatrum.
Vocibus his cunctis animam vocalia subdunt
Organa, pneumatico foris insufflata susurro,
Et digito motata levi, qvasi vincula totum
Harmoniæ servant corpus, vegetantq; decorè.

Omnibus

Omnibus idem animus Te, Rex celſiſsime, votis
Excipere, adventumq; tuum modulatibus iſtis
Ornare, ac plenis cantare Epinicia buccis.
Anteridas ſubter, tabulati in parte ſupremâ: *Inſcriptio Portæ.*
Antè, retroq; tuus, Rex ô invicte! figuris
Viſitur aureolis titulus; patrijq; Senatus
Obſequioſa tuis mens, officioſaq; jusſis.
Pergite Pierides; nam contignatio ſurgit *III. Contignatio.*
Tertia, bis geminis qvoq; confirmata columnis,
Et loricato cincta undiq; & undiq; ſepto.
Heic litui clangunt & cornua; ſiſtra moventur;
Cymbala clara ſonant; pulſantur tympana raucæ;
Æraq; taurinos ſonitu vincentia pulſûs
Exhilarant animosq; Virûm, mixtoq; fragore,
Qvo mirè inter ſe conſpirant, vincere ſeſe
Mutuiter, lauruq; parant victrice potiri.
Ad latera atq; acies tabulati iſtius honorâ *Fama.*
Fama ſedet facie, volucriq; inſtructa per armos
Remigio alarum, vaſti loca pervia mundi
Grandiſonâ completq; tubâ, vexillaq; verſat
Heic rubra, candida ibi: versâ vice, candida rubris
Picta notis, rubra candidulis: votivaq; Muſæ
Verba precantis ouans patulas diſpergit in auras:
Vivat Matthias; & tu Reſpublica ſalve. *IV. Contignatio*
Ultima nunc reſtat Portæ pars, ſummaq;, tectum
Conſtituens ope Dædaliâ. Stant antè decente
Aligeri vultu juuenes aciebus in ipſis;

Gloria.

Urnæ ponè duæ. Vaſto ſupereminet omnes
Corpore, & excedit ſummi laqvearia tecti,
GLORIA, purpureis totos induta per artûs
Veſtibus: aureolos cingit diadema capillos,
Laurus utramq; manum, geſti precioſa laboris
Munera, perpetûum non interitura per ævum.
  Qvo-qvo Te vertas, ſe vertit; & omnia viſu
Perluſtrans vigili, qvæ Sol utraq; recurrens
Parte videt, parit æternam poſt funera famam.
Hinc tibi in occurſum, REX optime maxime, poſta
Adventantem hilari vultuq; atq; ore ſalutans
Excipit; atq; ſacræ penetrantem viſcera PORTÆ
Verſa retrò comitatur, & officioſa perennes
Laudis opes, geminiq; Tibi diadematis orbes
Ex animo gratans, plus ultra tendere ſvadet,
Gratia qvà IOVÆ, tua qvà Te Regia virtus
Ire jubet, cautisq; favens ſors nobilis auſis.
  Salve læta dies, ſalue ter & amplius! hora
Salve læta, poli quæ nunc rutilantis ab arce
Irradiata nites, ubi REX celſiſſimus urbem
Auſpicio Regum Regis, qvi cuncta gubernat,
Qvæ mare, qvæ tellus, vaſti qvæ machina Olympi
Continet, & qvidqvid tellure lateſcit in imo,
Ingreditur felix, vultuq; ſerenus & ore
Aurea tranqvillæ promittens gaudia pacis,
Se Patriæ Patrem, Tutatoremq; bonorum
Exhibet, & columen Veri, Fideiq; columnam.

Ió canat! atq; iterum recinat jó læta BVDORGIS!
Ingeminansq; alacres tacito ſub pectore plauſus
Lætitiæ det ſigna ſuæ, dum læta per Urbem
Cuncta nitent, dum cuncta vigent, dum cuncta mouentur
Aduentu, REX DIVE, tuo: micat æthere Phœbus
Auricomis ridetq; comis: placido unda ſuſurro
Murmurat, & mollem, ripas circum, agmine leni
Lambit humum, tacitoq; probat ſua gaudia fluxu.
Venti etiam poſito, ſtellante ſub æthere, motu
Subſidunt placidè, blando flantesq; tepore
Brachia ſiluarum, virides motantq; capillos.
FLORA quoq; herbarum thalamos, ſitientia prata,
Rore nouo recreans, rediuiuum floris honorem
Reddit humo, decoratq; nouo viridamine campos.
Ergo lætitiam quia præ ſe ferre videntur
Omnia, quid nî homines etiam præcordia ſoluant,
Et poſito luctu lætum pœana canentes,
Ingenio, genioq; litent, votisq; pientes
Supplicibus, tales jactent ad ſidera voces.
VIVAT MATTHIAS! VIVAT REX NOSTER! in annos
VIVAT Nelidæ, valeatq; ; thronoq; Deorum
Additus, optatâ regat & tegat omnia pace!
O nimium REX care DEO, MATTHIA SECVNDE!
O REX care DEO nimium! Tibi ſeruit & æther,
Ætheris & quidquid vaſti latè integit aula.

Et Patriæ Princeps, Pater &; columenq; tuorum,
Spes & delicium, clypeusq; & murus, & omne
Externam pote qvod parere, internamq; salutem.
Salve ergo, auspicioq; bono tua rura revisens
Ingredere, atq; Tibi, non vi, non fraude petita,
Sed moderante DEO; sed Fratre volente RVDOLPHO;
Sed procerum voto, consensu juris & æqvi,
Debita sume libens & sceptra, & regna capesse.
O felix clavemq; dehinc, clavumq; tenendum
Dirige! Nec vano nos spes alit optima voto.
Nam satis ampla tenes tantæ fundamina molis:
Et satis apta novis adfers molimina curis.
Successus dabit ille bonos, dabit ille salutem,
Imperij qvi frena Tibi dedit, ætheris alti
Rex ille & Regum Rector, spes nostra IEHOVAH:
Macte tuâ Virtute, tuâ pietate, tuoq;
Macte animo atq; ausis, magnoq; in pectore tecum
Ipse agita, ut lapsis tamdem succurrere rebus
Ritè qveas, motosq; freti componere fluctûs,
Et placidis classem timidam protrudere velis.
O redeat sperata diu pax aurea terris!
O redeat regnis concordia! tela, tubæq;,
Et sclopi ac hastæ valeant; Bellona valeto,
Et Mars vastator, vis exsulet; exsulet omnis
Impietas: Pietas vigeat; fas regnet & æqvum:
Relligio depressa diu, laceratâq;, tamdem
Surgat, & alma Fides: coëant in federa CHRISTO

Dedita

Dedita turba, Caputq́; ſuum pia membra ſecuta
Sint unum, credant unum, fateantur & unum,
Uni addicta DEO, ac uno Baptiſmate lota.
MAIESTAS ſic ſumma DEI Te, DIVE, ſerenet
MATTHIA! ſic Te juvet & beet alma POTESTAS!
Dia PRONOEA regat! tegat & VIGILANTIA dia!
Confirmet REQVIES! PAX augeat! adſerat Orbi
Candida LIBERTAS, totumq́; Tibi adſerat Orbem!
IVSTITIA in portis ſedeat, Dea FORTIS & illa,
Nullibi ut includi, includi ſic neſcia metro.
Sic erit in portis benedictio, in urbe voluptas;
Turribus in diues cunctarum copia rerum.
GLORIA ſic, homines ſupra, Te ſplendida tollens
Diuorum tabulæ adſcribet, laurusq́; perennans
Cinget honora comas, ac circum timpora frondens
Teſtis erit meritiq́; tui, laudumq́; tuarum:
FAMAq́; quadrifidas mundi omnipatentis in oras
Fataq́;, fortunasq́; tuas, geſtiq́; laboris
Momina, viuaces in tempora longa triumphos
Dicet &, & feræ dabit enumeranda ſenectæ.
Scilicet ut norint poſt ſecula noſtra minores,
Te Proauis, Patriq́; parem, Fratriq́; RVDOLPHO,

Semper honos, nomenq́; tuum, laudesq́; diurnent.
Audiat hæc, firmetq́; potens mea vota IEHOVAH!
Tu verò, REX DIVE, faue, tenuisq; Poëtæ
Gratatûs admitte libens, vultuq́; ſereno
Adſpice, dum liceat redimitum timpora Lauru
Ire per Aonios colles, atq; aurea tempe,
Heroisq́; animare modis mea plectra, fidesq́; :
Tunc ego grandiloquo ventosq́; ferasq́; moratus
Pectine, dexter eam; penitusq́; in vaſta tuarum
Intentus laudum meletemata, ſole cadente,
Sole oriente canam Te, REX invicte, piisq́;
Immoriens Muſis, tua geſta, tuosq́; labores
Inſcribam Cedrinis ad ſecula longa tabellis.
Intereà repetens devoto vota priora
Pectore, contextum læto omine claudo poëma.
VIVAT MATTHIAS! VIVAT REX NOSTER! in anno
VIVAT Nelidæ, valeatq́;! thronoq́; Deorum
Additus, optatâ regat & tegat omnia pace.



IN
PORTAM AVGVSTAM
MATTHIÆ II. REGIS PANNONIÆ XXXIIX, BOHEMIÆ XX. ARCHIDVCIS AVstriæ, ducis Silesiæ,

QVAM

Ad felicem IPSIVS Wratislaviæ ingressum,

subjectissimæ observantiæ

Ergò

S. P. Q. WratisL.

F. F.

EPIGRAMMATA.

I.

TError & horror erat MATTHIAS Primus in orbe;

II.

Semideos jactet Mauortia pectora Roma,
Atq; triumphales erigat ampla thronos.
At Tibi, Matthia, pia Bresla, Secunde, ſecundo
Omine, pacis opus ſtructa trophæa ſacrat.
Quó Pax eſt rigido felicior aurea bello;
Gratior hóc Arcus hic tibi Pacis erit.

III.

Quæ meritis, Matthia, tuis Tibi parta trophæa,
Portat inoblito publica Fama pede,
Bresla tuis gaudens Virtutibus obuia ſurgit,
Atq; triumphalem pandit honora tholum.
Ingredere ô felix pacis reparator & autor!
Salua Deo ſua erunt nunc ſacra, jura foro.

IV.

Extollant alii grandes ſuper aſtra coloſſos,
Et ducibus ſtatuant publica ſigna ſuis.
Adventu, Matthia, tuo gauiſa Bvdorgis
Hæc animi erexit momina clara ſui.
Lignea Porta ſed eſt; tabulis licet undiq; pictis!
Adſolet in tali Pax habitare domo:

AD

DIVVM MATTHIAM II. HVNgariæ & Bohemiæ Regem &c.

Astra

Astra polusq; graui quomdam quum victa labore,
Atq; ſuâ victus mole labaret Atlas:
Dicitur Alcides humeris fulſiſſe ruinam,
Et tremulam celi ſuſtinuiſſe domum.
Atlanti Alcides es, Rex Matthia, Rvdolpho,
Quem ſenium moli non ſinit eſſe parem.
Hinc ruitura novo ſurgunt regna omnia fulcro,
Firmanturq; manûs vi ſtabilita tuæ.
Atlanti Alcides vive ô ſubvecte Rvdolpho!
Utq; ferâre polo, ferto oneroſa ſoli.

EIDEM SERENISSIMO REGI.

Hvngara Te Regem, Boiemaq; terra fatetur;
Archiducemq; refert Avstria clara ſuum.
Haut minor hiſce tui cultu populoſa Silesis
Cum Moravis, Dvce Te, Lvsatiisq; cluit.
Vox diverſa quidem, ſed mens eſt omnibus vna,
Omnibus vt Patriæ diceris eſſe Pater.

EIDEM.

Sit felix, Matthia, bonum ſit, & vtile Sleſis,
Dum Pater ingrederis rura paterna novus.
Hinc timor & Martis clamor maleſanus abeſto,

In Te magna tuis ſpes eſt, REX maxime, regnis:
Hinc ſceptro gaudent obſequioſa tuo.
Pax caput adpronat niveo placidiſsima vultu;
Et pietas ſparſis obviat alma comis.
Eſto ſerenus eis, REX clementiſsime: ſic Te
Deſuper omnimodâ IOVA ſerenet ope.

EIDEM POTENTISSIMO REGI
AC DOMINO, AVGVSTO ſuo.

MATTHIA, Archiducum ſangvis, de ſangvine Regum;
Nunc etiam gemino nomine Regis ovans.
Directore DEO, Fautoreq; Fratre RVDOLPHO,
Hæc veniunt meritis tanta trophæa tuis:
Fas redit & Iuſtum; Pax & Concordia rident:
Spe Pietas alitur; Relligioq; Fide.

EIDEM.

Hungaricam Virtus Tibi tradidit ante Coronam,
Auſtriacos dedens inſimul & Moravos.
Bojemam Virtus eadem nunc ecce Coronam
Exhibet, Elyſios, Luſatiosq; jugans.
Tertia reſtat adhuc; quam ſi non conferet Orbis,
Conferet in cœlo ter-benedicta TRIAS.

AD EVMDEM.

Iure RVDOLPHVS abit, MATTHIA SECVNDE, SECVNDVS,
Et Tibi dat regni jura ſecunda ſui.

O igitur

O igitur, REX sis, MATTHIA SECVNDE, secundus!
Et repara regnis quæq; secunda tuis.
Hoc vouet (ô voto, MATTHIA SECVNDE, secundo!)
BRESLA, sub imperio tota secunda tuo.

EIDEM.

HActenus immixtum terræ celum, mare celo:
Sol Erebo, tenebris lux fuit, ignis aqvæ.
Frigida cum calidis; cum siccis humida iêre:
Naturæ svetas nullo imitante vias.
At Te MATTHIA, CHRISTO Auspice, REGE creato,
Summa suum capiunt rursus, & ima locum.

EIDEM.

ET DEVS, & Cæsar, MATTHIA SECVNDE, secundant,
Qvæ geris invictâ sceptra secunda manu.
Hæc tibi gratatur devotâ mente BVDORGIS,
Et regnis optat qvæq; secunda tuis.
O ades, atq; tuis hæc pegmata sume triumphis!

CErnere qui Martem remouentem concupis arma,
MATTHIAE Regis tela, togamq; vide.
Cominus ille suo concurrens fortiter hosti,
Vt pacis reuehat munera, bella gerit.
Qvid metuat porró Pax isthoc Marte? Bohemis
In marte ad pacem Mars fuit iste suam.

In Ædes

CHRISTOPHORI HENSCHERI I. V. D.

Reipub. WratisL. Syndici, atq; Ejusdem

Ducatûs pro-Cancellarii,

Regio diversorio destinatas.

HAEC est illa domus celeberrima, quæ dedit olim
Hungaro-Bojemis Regibus hospitium.
Scilicet Homagium sumturi à Slesidos Orbe,
Hanc vnam reliquis antetulêre Domum.
Hanc VLADISLAVS tenuit REX magnus, & unà
Tu, LVDOVICE, comes factus, & ANNA Patri.
Hanc FERDINANDVS cum Conjuge adivit & ANNA:
Tuq; volens procerum, DIVE RVDOLPHE, fidem.
Adsit ô! hospitii sedes dignatus avitas
MATTHIAS Regni solq; salusq; sui.
Qviq; (sed ô sero!) longo ordine dêinde sequentur,
Sumturi patrii sceptra tenenda soli.
Sic erit, vt Divûm domus hæc, hominumq; feratur;
Ac possessori sit preciosa suo.

Psal. XXIV.

Eja caput relevate; foresq; recludite portæ!
Vt intret ille Rector ingens gloriæ.